

## XII PETRI BEMBI

Carolus, priusquam patriae prodesse per aetatem potuisset, extinctus est: unam hanc litterarum atque ingenii laudem minus illos adhuc esse adeptos: eam se in suam gentem inferre cupere, ac propemodum etiam se id perficere, ac praestare posse compertum habere: si honores sectari velit, certo scire, minus eam sibi rem ex sententia successuram; quam invitus suscipiat, & injucundam existimet; & multa praeterea a natura impedimenta habere se, sibi ipse sit conscius: nam & blandiri ei qui possit, quem fortasse minus aut probet, aut diligit, pudore sese quodam ingenuo impediri; & existimationem suam vulgi voluntati, comitorumque casibus, & tamquam undis, quotannis commissam esse, propter animi quandam aut libertatem, aut, si quibus ita videtur, fastidium, pati non posse: nullam autem omnino rem facilem esse, quam invitus facias. Scire sese illam alteram honorum atque ambitionis incertam, ac periculorum plenam viam, plus fortasse utilitatis, plus apud parvi, angustique animi homines splendoris polliceri; sed eam se sequi malle, quae plus verae solidaeque dignitatis habeat: ut enim fructuosos fundos parare utilius sit, voluptarios autem, atque animi modo causa institutos, honestius ac magnificentius; sic illam ambitionis rationem ubiores in vulgus fructus fortasse ferre, hanc certe bonarum artium ac litterarum institutionem, plus apud praeclera hominum ingenia magnificentiae, plus honestatis ostendere: ac, ne multa, nihil aegrius factum est, multis filii contentionibus, multa contra patris, matris quoque Helenae Marcellae, primariae feminae, castigatione, saepe etiam objurgatione, quam, ut ne singulare ac prope divinum Bembi ingenium, ad bonarum artium studia atque ad has mansuetiores musas natum, vulgo atque imperitae multitudini proderetur: sed pervicit tamen, ut, per parentes ac necessarios, perque cives sibi suos aliquando vitam in litteris agere, idque unum, relictis rebus, curare sibi liceret. Sed paucis post annis dum sese Bembus libris, litterisque obruit, dum solitudines, recessusque sibi pro foro, sibi pro curia, proque comitiis per summum otium, summamque tranquillitatem habet; (a) Joannes Medices Cardinalis, is cui Leo X. nomen postea inditum est, Pontifex Maximus Romae creatur. Mos, consuetudoque Pontificum est, ut si quid publicae privatae rei incidat, quod prolato opus non sit, quodque secreto per litteras agi oporteat, si quando, aut regibus, aut civitatibus respondendum, aut si quid postulandum ab iis sit, si quid denique paulo majoris negotii implicitum cum aliquo est, id, quasi per familiares epistolas, transfigant: eas litteras cera obsignant; nam publicis decretis in plumbo signum est: earum litterarum scribendarum negotium datur hominibus, ob scribendi prudentiam, atque elegantiam, eruditissimis; ob muneric, locique dignitatem, gravissimis atque honestissimis; ob autem rerum pondus ac magnitudinem, summa fide, summaque probitate praeditis: ii magna cura ac diligentia conquiruntur, magnis praemiis evocantur. Eum Leo morem cum vehementer probaret, cumque ad dignitatem pertinere arbitraretur, diligenter tissi-

(a) Joannes Medices Cardinalis . . . . . Pont. Max. Romae creatur. ) Leo X. qui antea Joannes Medices, tituli sanctae Mariae in Dominica Cardinalis, renunciatus est Pontifex Maximus V. idus martias anno M. D. XIII. isque prius quam e Conclavi exiret, ME ( Bembus ait in exitu suae historiae ) & Jacobum Sadoletum qui Romae tunc eramus, sibi ab epistolis adscivit. Anno superiori Bembus Julianus Medici, Joannis Cardinalis fratri, comes Romam petierat, statimque Iulii II. judicio ac benevolentia florere coepit, cum ab archiepiscopo Salernitanio Federico Fregoso ipse ac Sadoletus hospitio accepti essent.

(a) id